



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

12 De Donatione omnium bonorum, quæ sit reseruatō vsufructu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

tur statim respectu directi, ex ratione l. 7. §. que oneranda. ff. quarum rerum actio non datur. & ob id vnus contractus esse videatur quo ad dominium vtile, & directum. l. cum antiquitas. in principio. C. de testament. siquidem vtramque simul in eadem conventionem deducitur, licet translatio directi ex causa differatur, vnde apparet, venditorem tempore contractus ipsius, ex quo dominium in emptorem transmittitur, vtrumque dominium directum, & vtile habuisse. At in posteriori contractu, eo tempore, quo proprietatis per conventionem venditur vsufructuario, ipse vsufructus non pertinebat ad proprietarium. nimirum igitur si a consanguineo proximior vsufructum non possit retrahi, cui lege retractus id tantum retrahendum est, quod venditor tempore contractus habebat, & vendidit. quod idem probatur, in l. a liberto. ff. de bon. libert. & quia pretium proprietatis tantum solutum fuit ex ea conventionem. l. cum in fundo. §. vxor. ff. de iure dot. Sed tamē vtique, sit licet teneamus quod tutus est, in priori specie contractus, dominium vtile simul & directum euinci posse retractus, id quidem obtinebit intra nouem dies a tempore contractus, non ab ipsa redemptione census computandos, cum ex ea conventionem, ex eo contractu pure facta sit venditio dominij vtilis, & directi. tamen translatio directi dominij sit dilata in diem redemptionis census, & annui redditus. Sic denique ab hac septima ratione illud colligemus, contractum istam, de quo agimus, factum fuisse ad translationem vtriusque dominij vtilis & directi, pretiumque ad estimationem vtriusque constitutum esse, vt tandem vtrumque dominij retrahi possit lege Regia intra diem ab ea definitum, computandum sane ab ipso die contractus. Etenim, vt ingenue fatear, verius esse censo, quod in hoc casu dominium vtile, simul & directum retrahi valeat, atque ita non idem hic esse obseruandum, quod in venditione proprietatis vsufructuario facta, circa legem retractus ex Cyn. Ang. & Pau. Cast. adnotauimus.

Octauo loco videbitur fortasse quibusdam, questionem istam decisam esse lege Regia, quae 74. est inter Taurinas constitutiones, [Theod. l. 13. tit. 11. lib. 5. Recopil.] qua sancitum est habentem dominium directum vel vtile tantum, ius retractus habere ita quidem, vt is praferatur proximiori consanguineo, & tamen iuxta huius questionis speciem consistat, emptorem soluentem censum redimibilem, annuamque praestationem, vtile saltem dominium habere ab initio contractus, atque ita de directo esse inter eum, & cognatum venditoris questionem, ipso consanguineo proximiori potente iure retractus rem ipsam ratione venditi directi dominij per extinctionem, & redemptionem annui redditus. Ergo proximior nequaquam poterit obtinere aduersus habentem iam diu vtile rei dominium, cum is, si directum consanguineo venderetur, posse iure quidem in eodem pretio retrahere. *argumento vendicantem. ff. de euiction.* Si vero dixeris legem Regiam 73. [Theod. l. 13. supra dictam.] non procedere, vbi ex eodem contractu procedit alienatio directi simul, & vtilis dominij, quasi tunc habens vtile dominium ex emptione spem habeat ob eundem contractum, & directum consequendi, & ea ratione praferendum fore proximiorē agnatum, ne alioqui fraus fiat legi, tunc sane respondebitur hoc verum esse, modo terminus datus a lege currat, & computetur ab ipso contractus die, quo quidem facta est vtriusque dominij alienatio, licet directum translatio dilata sit in tempus redemptionis annui redditus, & sic in diem, quo vere ac omnino sit vltima solutio pretii conueni.

Sed & si quis aduersus sextam rationem dixerit, annuas praestationes, non inique exigi ab ipso emptore interim dum pretium non fuerit solutum loco quidem fructuum, quos esse re ipsa perceperit. *arg. l. curabit. C. de act. empt. id profecto aequum est, quando annua praestationes non excedunt fructuum estimationem deductis expensis, & ideo etiam si retrahetur, non erit proximiori cognato annua praestationes emptori reddenda: at si annui redditus ab emptore soluti fructuum estimationem excefferint, iniquum erit, eum excessum a proximiori consanguineo retrahente rem ipsam venditam minime solui, casu, quo retractui locus sit.*

Quibus tandem effectum est, vt isthuc posterior sententia aequior, iure verior, & reipublicae magis conueniens ad tollendas iniurias, quae in commutationibus: & contractibus accidere solent, omnino videatur. Quasobrem ea meo iudicio potius, quod contraria in praxi seruabitur, nisi quando ex negotij qualitate visum fuerit iudicib. fraudem conventioni subesse, eamque contigisse ad effugiendum retractum, qui iure sanguinis lege Regia permissus est: etenim tunc prior opinio potiores partes obtinebit.

Non obertur huic posteriori sententiae ea, quae in prioris confirmacionem adducta fuere. Primum etenim cessat, quia quo ad tractatum haec venditio, nec quoad ad tractatum conditionalis est: de vtili satis apparet, nec negari poterit: de directo autē probatur ex his, quae adnotauimus in prima, secunda, & tertia, ac quinta, & septima rationibus posterioris partis, quibus constanter probare conati sumus, nullam subesse huic conventioni conditionem.

Secundum minime item obstat, cum eius fundamentum ratio, etiā si vera sit, de quo inibi actum fuit, obtinet in re, quae datur in emphyteusim, vel censum ad rationem perpetuae pensionis, non vbi pensio ipsa ab initio contractus redimibilis sit. At in hac specie contractus de quo disputatum est, pensio est redimibilis, & ea ratione censetur statim in principium vtrumque iure alienatum, quemadmodum in probatione secundae opinionis passim contendimus.

Tertium, eadem ratione deficit, praesertim ex notatis in septima postremae partis ratione. Quia statim dominium directum per ipsam conventionem alienatum est.

CAPVT XII

De donatione omnium bonorum, quae sit reseruato vsufructu.

S V M M A R I A.

- 1 Pauli Castrensis sententia late examinatur, de donatione omnium bonorum reseruato vsufructu.
- 2 Intellectus, penus, & vlt. ff. de bigna. circa pecuniam mutuo receptam, in ea veniat in generalem bonorum hypothecam.
- 3 Reseruatio alienius rei, quae fit in donatione omnium bonorum, qualis dicitur esse.
- 4 Donatio omnium bonorum praesentium tantum iure Regio minime valida est. Et inibi interpretatio h. g. Tauri.

Donatio omnium bonorum praesentium, & futurorum iure Caesarum adeo improbatum, vt quibusdam visum fuerit eadem ratione donationem omnium bonorum praesentium tantum, minime valere, etiam si iuramenti religione sit ea donatio confirmata. de quibus nos scripsimus in Rub. de testamen. 2. par. nu. 3. & pluribus sequentibus. Nunc sane tractabitur oportune, an omnium bonorum donatio, quae fit retento à donatore vsufructu, valida sit: hac etenim cautela vsufructus retineri solet, vt ea donatio valeat. Quae eundem questionem tradens §. Paul. Castren. in l. vlt. nu. 10. C. de p. in ea est sententia, vt opinetur, donationem istam minime validam esse, eo quod per eam tollatur libera testandi facultas, & fraus fiat legi prohibenti omnium bonorum donationem. Etenim donator de iure vsufructus testari non valet, cum id morte finiatur: de ipsis similiter fructibus testari nequit, vbi donatio fit omnium etiam futurorum bonorum, siquidem tunc veniunt fructus re donata percipiendi in ipsam donationem, quibus compertum est, donationem istam non valere. idem tenebant ipse Paul. conf. 56. n. 8. l. 2. Dec. n. 32. Curt. Jun. nu. 58. Purpur. nu. 352. in d. l. vlt. Dec. conf. 50. n. 3. & conf. 251. n. 3. Philip. Corn. conf. 176. li. 2. col. pen. Franc. à Ripa lib. 3. respon. ca. 14. num. 3. Carolus Molin. in addition. ad conf. Alex. 59. lib. 5. litera b. Quorum ratio exacte, & diligenter perpensa insinuat hanc opinionem plane procedere, vbi donator simpliciter sibi retinet vsufructum, quemadmodum Ripa aduertit, ex hoc deducēs, aliud esse, cum donator sibi reseruat non tantum vsufructum, sed & fructus percipiendos à re donata. tunc etenim secundum eum donatio valebit, quia donator testari poterit de fructibus percipiendis ab eo viuente. idem expressim Purpur. adnotauit in d. l. vlt. n. 253. sic & Curt. Jun. d. n. 58. & conf. 25. Pauli sententia secutus eam intelligit, vbi donator vsufructum sibi ad vitam reseruaerit. His accedit quod Bart. in conf. 76. respondit scribens. ad hoc, vt omnium bonorum donatio valeat. non esse satis à donatore vsufructum, vt de eo in vita disponere possit retineri, cum non habeat ex hac ratione liberam testandi facultatem. hoc ipsum sub ambiguo Rom. notat. in l. stipulatio hoc modo concepta. n. 42. ff. de verb. obliq. quo in loco Alex. n. 18. Iaf. n. 10. & Soc. conf. 126. col. vlt. n. 1. Bar. opinionem in specie probat, & sequuntur: atque idem omnes, qui Pauli sententiam veriorē esse existimant, responsum Bar. facilius admittunt: etenim colligit ex hoc simplicem

usufructus retentione ceteri factam de fructibus futuris quo ad dispositionem inter viuos, non quo ad testamentum. Quamobrem donatio omnium bonorum, casu, quo à iure improbetur secundum eos, non censetur valida ex simpliciter usufructus retentione, quemadmodum Paulus Castrensis, & hi, qui cum sequuntur, existimant, his sane rationibus prior hæc opinio defenditur. Ex contrario, quod donatio omnium bonorum, etiam futurorum valeat, si donatarius sibi usufructum simpliciter reseruauerit, asserunt Alex. n. 1. l. col. 7. in d. l. stipulatio hoc modo concepta. A. r. c. conf. 54. co. l. acc. de S. Geor. in d. l. vlt. n. 39. C. de pactis, & inibi And. Alciat. Quibus adhibetur, quod donator de fructibus percipientibus ratione usufructus testari poterit. Hoc etenim donatarius minime habebit donationis titulo, nec in eam hi fructus veniunt, licet inter bona futura donatoris numerentur. Equidem restringitur omnium bonorum etiam futurorum donatio, vt in eis fructibus, quos donator causa reseruati usufructus è re donata perceperit, locum non habeat. Nam res ipsa consentiente donatario alienata, & deinde redempta in bonorum futurorum donationem non reuertitur, sicuti deducitur ex leg. vlt. C. de remiss. pig. quo in loco probatur, rem ab initio hypotheca obligatam & subiecta semel tantum consentiente creditore alienatam, minime in eandem hypothecam redire, etiam si debitori iterum acquisita fuerit, quamuis hypotheca bona presentia, & futura cõplectatur. Sic & fructus semel à donatore excepti, ne in donationem, vt compertum est ex eius mente, veniant, licet ab eo postmodum acquirantur, donatario minime obueniant, nec ad eum pertinebunt. quod item probatur in l. penult. §. vltim. ff. de pignori. vbi Iuriscõsultus scribit, pecuniam à debitore mutuo acceptam ab alio, quam creditore, in hypothecam bonorum presentium & futurorum venire, cum ipse debitor priusquam pecuniam mutuo accepit, pignori obligauit, quicquid in bonis haberet, habiturum esse, quasi secus sit in pecunia mutuo accepta per debitorem ab ipso creditore, cui ob eam causam hypotheca constituitur secundum Rom. in pig. 605. qua quidem ratione fit, vt licet donatio futurorum bonorum contineat fructus percipiendos pro ipsius donatorem ex alia causa, non tamen continebit fructus percipiendos ex causa reseruatiõis factæ in eodem donationis contractu. denique mihi illud fati probatum est, ob speciale donatoris exceptionem & reseruatiõem fructuum percipiendorum à re donata, ipsos fructus futuros minime in donationem ipsam venire, nec contrarij potest vlla iusta ratione defendi. id vero, quod ex Roman. adnotauimus in d. l. p. n. §. vlt. expressim tenuerunt Richar. Bal. & Alb. in l. obligatiõis generati. ff. de pignori. idem Alb. in d. §. vltim. & Ant. Faneus in d. l. de hypoth. & pig. 2. par. memb. 2. n. 12. quorum interpretatiõis cõmunis est, eaque ratione constat, quia pecunia mutuo accepta ab eo creditore, cui obligatio hypothecaria fit: eo animo accipitur, vt ea libere sit ad negotia tractandæ, & eorum expeditione: vnde alienum est à mente debitoris, cuius voluntas necessaria est ad hypothecam, quod ea pecunia obligatione hypothecaria sit expedita.

Item eadem Alex. & aliorum opinio manifeste probatur ex eo, quod usufructuarius, qualis donator est, fructus omnino sibi acquirit, & de eis testari potest, eosq; ad heredes transmittit, iuxta l. de sancta. ff. de usufructu. cuius & nos meminimus lib. 1. huius operis, c. 15. nu. 3. Ergo plane deducitur fructus istos qui expressim à donatione excipiuntur, non comprehendari sub futurorum bonorum appellatiõne.

Imo & idẽ erit, vbi usufructus à donatore retinetur expressim ad eius vitam, cum ea conditio sit de natura usufructus, licet expressa non fuerit, & ideo nihil mutat usufructus proprias leges & conditiones. Ex quo colligitur nihil referre ad veritatem & ratione decisionis Pau. Cast. quod usufructus reseruatur à donatore simpliciter, vel expressim ea adiecta clausula, qua & fructus percipiendos donator sibi excipit: vtroque etenim casu vel falsa, vel vera erit Pau. opinio aduersus Ripam & Purp. Sic sane falsum est, quod Curt. Iun. opinatur scribens eandem Pauli sententiã tunc obtinere, cum donator sibi reseruauit usufructum ad vitam, nam si simpliciter reseruatio usufructus fiat, siue ad vitam, minime mutatur reseruatiõis ius. Et profecto mihi verior apparet opinio Alexand. aduersus Paulum ob eas rationes, quas modo expressi.

Verum adhuc obtinebit sententia Pauli tribus equidem casibus Primo, quando reseruatio usufructus facta fuit à

donatore, vt de eo possit donator in vita disponere, iuxta responsum Bartoli, quod ni fallor, frequentiori calculo receptum est. Nam & tunc per eam reseruatiõem expressim à donatore factam, ad eum effectum, vt de usufructu possit inter viuos, & in eius vita disponere, ipse donator abdicat sibi potestatem testandi etiam de fructibus percipiendis ex re donata. Quamobrem propter eam abdicatiõem locus est prohibitioni legis, quæ vetuit, donationem omnium bonorum fieri, ne donator maneat priuatus libero iure testandi. Quo fit, vt merito in hac specie donatio improbetur.

Secundo, Pauli sententiã obtinebit, vbi usufructus in donationis contractus reseruatus, esset necessarius ad alimenta ipsius donatoris eius conditio inspecta. Nam tunc, cum nihil superesse possit ad exercendam à donatore testandi facultatẽ, optime deducitur, donationem nullam esse. Hoc probatur auctoritate Aretin. in d. conf. 54. col. vlt. qui respondit, donationem omnium bonorum nullam esse, etiam si donator aliquid reseruauerit pro alimentis: siquidẽ in ea specie omnino tollitur testandi libertas, quæ sane ratio efficit, quod omnium bonorum donatio iure ipso nulla censetur. Quam sententiã probat Boer. decif. 240. nu. 44. & Aymon conf. 222. num. 2. lib. 2. vbi late conuincit defendere opinionem Alex. aduersus Paulum Castrensem.

Tertio, eadem ratione, ex proculdubio fortiori, donatio omnium bonorum erit reprobanda, etiam reseruato usufructu, si ipse usufructus ita modicus sit, vt nec ad alimenta congrua donatoris sufficiat, sicuti donatio omnium bonorum nulla iudicatur, quoties id, quod à donatore reseruatur, ita modicum est, quod vix ad alimenta sufficiat, vel testamentaria eiusdẽ rei dispositio elusoria, vana & fere inutilis sit: adeo quidẽ vt nemo sit, qui hæreditatem adire velit secundum Paul. & Alex. nu. 13. Claud. col. pen. in d. l. stipulatio hoc modo concepta. Purpur. in d. l. vlt. nu. 251. C. de pactis.

Quibus accedit, quod vt donatio omnium bonorum valida sit ex reseruatiõne alicuius partis bonorum, oportet eã reseruatiõnem omnino liberam esse ad testandum, ita quidem, vt si testandi libertas diminuta sit, donatio nulla iudicetur. Etenim cum omnium bonorum donator centum sibi reseruauerit ad testandũ, & disponendum de eis pro anima respondit Ripa lib. 3. respõs. c. 14. n. 4. donationem minime validam esse. Sic & Dec. conf. 203. & conf. 251. asseuerat, omnium bonorum donationem improbari, etiam si pars aliqua patrimonij fuerit reseruata, vt de ea donator in vita, vel in morte disponat, quasi sublata sit libera testandi facultas, si donator in vita de bonis reseruatis disposuerit. Ergo, vt ingenue fatear, quid in hac re sentio, nõ video qua ratione responsum hoc Philippi Decij defendi iure possit. Nam si donator sibi reseruasset ex omnium bonorum donatione simpliciter fundum aliquẽ mediocris estimationis, nõ negaret Dec. donationem validam esse, & tamẽ dubium nõ est, nec esse vere poterit, donatorem posse in vita ipsius de hoc fundo disponere, & id vendere, ac cõsumere, nec ex hac consumptione donatio prior irrita sit, cum ex donatione non fuerit sublata libera testandi facultas, sed potius ex ipsã consumptione, quamobrem Ripa dubitauit de responso Decij, & id iustissime improbat Alc. in d. l. vlt. C. de pactis. ad fin. Sic post primam huius operis editionem legi responsum Aymonis in d. conf. 222. qui nu. 10. Decij opinionem falsam esse censet. Eodem pacto ipsius Ripæ sententiã falsa videtur, quia per eam reseruatiõnem nõ minuitur testandi libertas, etenim donator, qui reseruauit sibi centum aureos, vt pro anima disponeret, nõ cogitur præcise de eis pro anima testari, poteritq; libere disponere, cum reseruatio ipsa facta fuerit in ipsius donatoris fauorẽ & vtilitatẽ, qua ratione per eam non restringitur libera disponendi facultas, quemadmodum Alc. in d. l. vlt. censet per tex. in l. donationes, §. species ff. de don. nec ita est accipienda retentio quorundam bonorum facta à donatore ad disponendũ pro ipsius anima, vt intelligamus ea bona in aliam causam expendi nõ posse, vel donatario adquiri, si aliter fiat eorũ dispositio, præsertim quod si donator in vltima voluntate pro anima de eisdem bonis reseruatis disposuerit, mutari & reuocari poterit ea dispositio ad libitũ testatoris, si quidẽ eius cõtestatione facta fuerit, additaq; donationi bonorum reseruatiõne. Deinde ea interpretatiõ in dubio adsumenda est, quæ ad subuertendum actũ minime tendat. l. quoties. ff. de reb. dub. at si reseruatiõnem prædictã præcisam fore censeamus, & ex ea tolli testandi liberã voluntatem interpretemur, inutilis, nullusq; erit contractus ipse, quod

quod à voluntate cōtrahentium satis abhorret, & ideo æquior ac benignior est sensus verborū obseruandus. Hinc etiā deducitur Bart. opinionē in d. conf. 76. ambigua esse, nā si referuatio facta est in donatoris fauorē, vita mentio non mutat eius liberam dispositionē, poteritq; donator de bonis referuatis testari, maxime quia verba illa, in vita disponere, etiā testamentaria dispositioni cōueniunt, cū testamentum in vita testatoris fiat, tamen effectum post eius mortē habeat. Quod si dixeris, eam clausulam cuius Bart. meminerit, donationi adiectā, cum habere sensum, quod de bonis referuatis donator possit inter viuos absq; testamento disponere, non autem in vltima voluntate, nec in aliam causam, quam in donatione expressam posse ea bona impendi, quod difficillime probabitur, nisi apertissime à mente donatoris deducatur, tunc fatebor vtique per eam donationem sublatam fuisse liberam testandi facultatē, & ex ea causā donationem ipsam omnino nullam esse, qua in re verba contractus diligentissime sunt examinanda, ne quid contrarium donatoris voluntati præsumatur.

Ceterū, quæ circa Pauli Castrensis sententiā adduximus, iure Cæsareo, quod omnibus commune est, locū obtinent: at iure Regio in ea Hispaniarū parte, quæ Castellane legibus subdita est, quæstio prædicta maiorē ambiguitatem habere videtur, propter l. 69. Tauri, [l. 8. tit. 10. lib. 5. Recopil.] qua statutum est donationē omnium bonorum, etiam præsentium tantum nullam esse: etenim ante eam cōstitutionem iure ciuili Romanorū frequentiori omnium consensu receptum erat, donationē omnium bonorum præsentium tantum validam esse, sicuti monstrauimus in Rubr. de test. amen. 2. par. notat Bart. & omnes d. l. stipulatio hoc modo concepta. num. 5. ff. de verb. obl. Dec. consil. 30. Et sane etiam stante Regia lege sepissime apud suprēma huius regni tribunalia communis sententia aduersus Pau. Cast. recepta videtur, cum his quidem interpretationibus, quas paulo ante tradidimus: mihi tamē quoties lege Regia erit ius dicendum, potius applaudat Pau. opinio quæ et iure Cæsarium iuste improbetur. Taurina verō cōstitutione potissimum probatur, quod pluribus rationibus verum esse ostendam, quo certior sit hæc interpretatio.

Primo siquidem constat iure Regio donationē omnium bonorum præsentium tantum, nullam esse: atq; ideo manifestissime iuris erit, hanc donationē omnium bonorum vsu fructu retento, esse nullā omnino, si probauero per eā omnia bona præsentia donari. id vero colligitur ex eo, quod donatio omnium bonorum iuxta cōmunem intellectū ad præsentia omnia bona pertineat. ita equidē visum est Barto. & alij in d. l. stipulatio hoc modo concepta. referuatio autem vsu fructus nō mutat hanc cōditionem, quia fructus percipiendi ad futura bona pertinent, ipse autem vsu fructus nō potest inter præsentia bona donatoris censerī, cū vsu fructus pertineat ad donatorem tempore donationis causalis sit. is vero, qui referuatur formalis, qui constitui nō potest donec in donatū transferatur dominū, & sic post donationem ipsam. igitur vsu fructus formalis, qui per donatorem referuatur, nō erat penes ipsum tempore donationis, atq; ita ad bona eius præsentia minime tunc pertinisset. dices forsā hanc rationem ideo debilem esse, quod statim vñico actū donatio fiat, & inter bona præsentia donatoris formalis vsu fructus constituitur, & item retineatur. Et præterea per referuatiōem vsu fructus non fit noua vsu fructus adquisitio, sed tantum mutatur qualitas eiusdem, cū ex causalī mutetur, & transeat in formalem. Causalis autem erat penes donatorem tempore donationis, ergo & formalis quoad substantiā rei itidem apud eundem donatorem extabat ante donationem, saltem eius tempore. quam obrem prima hæc ratio minus congrua apparet. Vnde secundo vrgentius considero, quod Dd. omnes, qui à Paulo Castrensi recesserūt, fatentur in hac specie donationis omnium bonorum retento vsu fructu factæ, donationē ipsam vere esse omnium præsentium bonorū: quippe qui censent ipsū ius vsu fructus nihil impedire, quin hæc donatio omnium præsentium bonorū sit, quia de eo testari donator nō valet: at tamen defendunt hanc donationē ex eo, quod de fructibus futuris, qui causa vsu fructus referuati fuerūt, testari donator possit: palam igitur fit hæc donationem iure Regio nullam esse, cū sit omnium saltem præsentium bonorū donatio. Tertio, hanc ipsam sententiā Regiæ legis mens plane probat, etenim ex eo Regia lex improbat omnium bonorū præsentium donationem, quod velit ad

effectum validæ donationis aliquid ex bonis præsentibus referuari, de quo donator ipse tempore donationis testari valeat, quā nō lex tolli liberam testandi facultatem, & discrimen sit subiturus. Quo fit, vt etiam si tenemus ius vsu fructus formalis esse de bonis præsentibus, nō testari donator possit, fructus autem percipiendi nihil ad effectum donationis validæ pertinent, quāuis referuatur, cum ea referuatio iure Regio sufficiens non sit.

Quarto in eisdē opinionis cōprobationem facit, quod iure Regio duo requiruntur, vt omnium bonorum donatio valeat. Primum referuatio alicuius partis ex bonis præsentibus, quemadmodum d. l. 69. satis expressum est. Secundum exigitur quod ea referuatio fiat de re, quæ cedat in testamentariam dispositionem donatoris. Nam & iure Cæsari secundo modo communem omnium sententiā in d. l. stipulatio hoc modo concepta. id, quod referuatur à donatore, vt donatio omnium bonorum valeat, oportet, vt eius cōditio sit, quod donator de eo testari valeat, ne tollatur libera testandi facultas, atloqui vana ac frustranea esset in hac specie referuatio. Et profecto illud maxime iudicū animos perturbare debuisset, vt Pauli Castrensis opinionem in praxi saltem Regio reciperent, quod in his omnium bonorum donationis vsu fructus referuatio sit in manifestissima legis fraudem. Aliquot præter hæc scitu digna in materia legem diligens obseruabit apud Iasonem in l. ad duo Pio. §. in venditione. ff. de re iud. col. 2. & in l. 1. §. si quis ita. nu. 18. ff. de verb. oblig. & consil. 169. lib. 4. Curt. Iuuiore conf. 15 & 25. Gozad. in consil. 87. Symon. consil. 139. ad in præter alia, quæ ipse adnotat, in d. l. stipulatio hoc modo concepta. & adnotant Dd. d. l. stipulatio hoc modo concepta. & in d. l. vit. de pass. Matthei. notat. 137. Et in ea quæstione, quam in d. §. in venditione. Iason explicuit, omnino legendi sunt idem Ias. consil. 65. 4. dubio. lib. 1. & consil. 194. idem in d. l. stipulatio hoc modo concepta. Dec. consil. 414. atque Andr. Tiraq. in l. si inquam. C. de reuoc. don. verbi bona. nu. 7.

CAPVT XIII.

Quid consuetudo possit circa fructus beneficiorum absentibus conferendis.

S V M M A R I A.

1. Distributiones quotidianæ an cōueniant appellatione fructuum beneficiorum.
2. Distributiones quotidianæ etiā ex consuetudine absentibus dari nō debent.
3. Residencia & personalis presentia in choro, differentes valde quæ ad perceptionem fructuum.
4. Lex improbat consuetudinem, an reprobat censuram præteritam tantum vel futuram simul.
5. Sublata consuetudine, an & immemorabile venocatio sit.
6. Distributiones quotidianæ simplices & non duplices dantur habentibus eandem ecclesiam duo beneficia.
7. An absentium distributiones presentibus adiciantur.
8. Infirmi qualiter excusentur à presentia in choro, vt percipiant distributiones quotidianas, & quid de excommunicatis.
9. Consuetudo an valet excusare quem à residentia, vt à percipiendis rebus principalibus beneficij.
10. Clerici habentes beneficia ecclesiastica, quæ parua coguntur horas canonicas dicere.

Fructus beneficiorum ecclesiasticorum iure Pontificio bifariam considerantur. Quidam etenim in genere constituti sunt, vt ex titulo canonico ad legitimo habenti beneficium competant, & reddantur. Alij vero distributione quadam veluti diurnum, & horarium stipendium his, qui quotidiano ministerio in celebrandis officijs diuini subserviunt ecclesie distribuuntur. horum ratione tractari solet, an hi fructus ex consuetudine absentibus adquirantur: quæ de re traditum est à iuris canonici professoribus dubitationem istam in duas distinguendam esse partes, quarum prior de quotidianis distributionibus posterior de aliis ecclesiasticorū beneficiorū redditibus tractabit etenim quotidianæ distributiones potissime differunt à reliquis beneficiorū redditibus, imo appellatione fructuum beneficii ecclesiastici non veniunt quotidianæ distributiones. textu opt. in c. vñico. de cleric. non resid. in 6. & in c. vltim. 8. in illis. de concess. preb. eod. l. idem pluribus rationibus & autoritatibus probari poterit, quæ hoc in capite à me erunt adnotandæ. Præsertim tamen illud admonendū est, quod cum aliqui impetratiōem beneficij quæ à summo Pontifice fiat, valor eiusdem sit omnino exprimendus iuxta reg. Cancell. 21. & 60. ac 62. & tractata per Ludouicum Gomez. in præfatione eiusdem regule. post. gloss. & Dd. in Clem. 1. de prebend. Fel. in c. causam qua. 3. de test. eundem